
GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK


Signatur: Leibn. Marg. 29:ZEN Leibn. Marg. 29, [1] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 29;ZEN Leibn. Marg. 29, [2] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 29;ZEN Leibn. Marg. 29, [3] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 29;ZEN Leibn. Marg. 29, [4] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 29;ZEN Leibn. Marg. 29, [5] - -

PUBLIC DOMAIN

Vert.: John Sergeant

Concordia scientiæ cum fide p. 22

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 29;ZEN Leibn. Marg. 29, [6] - -

PUBLIC DOMAIN

STATERÆ ÆQUILIBRIUM,

Quoad

Salutis assequendæ facilitatem.


AUTHORE

THOMA ANGLO ex Albiis.

Erunt *prava in directa & aspera in vias planas*, Luc. 3. v. 5.

LONDINI
Anno Salutis, M. DC. LXI.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 29;ZEN Leibn. Marg. 29, [7] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 29;ZEN Leibn. Marg. 29, [8] - -

PUBLIC DOMAIN

INTRODUCTIO.

Doctiſsime & pererudite Vir.

1. EXilii, viſo ſcripto tuo; & gratulatus mihi ſum quòd tandem quiſpiam Theologicâ dignus profeſſione ſententiam meam in ſerio opere tentare dignatus ſit. Neque poſſum tibi illam laudem invidere, quòd conſummati Theologi munere functus ſis, & accuratam reſponſionem promeritus. Quare, illam adoriar, tuis inſiſtens veſtigiis; ubi præmi-

ſero poſtulatorum à te (ut credo) iniquè refutationem.

2. Exigis itaque à me in ipſo operis tui exitu evidentiſſimam ſcriptorum à me probationem, neque maximam probabilitatem ſatisfacturam exiſtimas. Miror profectò te hujus ſæculi mores adeò ignorare, qui ultra probabilitatem nihil affectant, nihil ſperant. Conabor tamen ad te accedere, modò conſtare inter nos poſſit quid nomine *Evidentiæ* ſignificatum velis. Si enim quod vox ſonat, re poſcas, vide quod onus imperes; ut nempe à primis Philoſophiæ elementis continuam de-

demonſtrationum telam uſque ad veritatem cui te opponis, pertexam; quod & immenſi laboris, & demonſtratorum & menti & Methodo adverſum, & *lectori* ingratum accideret. Quare non hunc tuo dicto ſenſum facile adjudicaverim. Eſt itaque verborum tuorum mitior Expoſitio, ut evidentiam *illam* poſtules quâ hæc, quam adeò paradoxam cenſes, propoſitio in dogmata publice ſive acceptata, ſive agitatione nihil indigentia, evidenter appareat reſoluta; & hanc tibi Evidentiam confido me exhibiturum.

3. Verùm tu ultrò difficilior es, & renuis quæ *tibi* ſatis

ſit Evidentiam, niſi tanta ſit ut etiam *vulgo* ſe oſtentet & claram præſtet. Tu itaque vulgum exhibe qui Apodixeos ſit capax, & ego Apodixim polliceor. Sed utraq; hæc eodem ſpirare flatu, ut, & vulgus impar ſit demonſtrationi, & demonſtratio vulgum ſtringat, ejuſmodi eſt atque cum ratione inſanire. Sed premis quorſum itaque publicavi ſenſum meum in re adeò abſtrusâ? Cum ad illam ſcripti tui partem applicuero, hujus facti rationem reddere tentabo. Interea hactenus extra ordinem dicta eâ neceſſitate ſuſcipito quam logicum imponit diverbium, *De modo ſciendi priùs in-*

inquirendum quàm de ipsis scibilibus.

4. Ex hinc ad ipsius Scripti & methodum & examen delabor : Et, in Præfatione ad Theologos, id unum queror, quòd famam meam comparatione ad Patrem scientiarum Aristotelem, & alibi non agnoscendis laudibus graves. Sed reliquus Scripti candor persuadet te per Sycophantiam nihil egisse, quæ nimiis laudibus deprimere consuevit quibus invidet; Propterea solatium à lectoribus peto; quos sat scio tantò tardiores fore ad fidem, quantò præcipitantiùs meæ gloriæ indultum fuisse sibi persuaserint. Cætera

quæ in Præfatione tangis, quoniam Prudentiæ dictata ſunt, ſub meam non cadunt arbitrationem. Sequitur ipſius Quæſtionis ſtatus, quem ut agnoſco candidè & fideliter à te explanatum, ſic video altiorem principiorum repetitionem flagitare.

DE.

DEFENSIO PRIMA.

Continens Præmittenda.

Præmittendum Primum.

1. NOtum itaque eſt Theologis ab ipſo primo florentis Eccleſiæ ſæculo, ex noſtrâ Angliâ exiviſſe Monachum qui univerſam Eccleſiam turbaverit, nè dicam etiamnum turbet. Radix amaritudinis in eo ſita erat quòd ſubducebat voluntatem humanam naturali Dei omnipotentiæ & regimini, & Dei conſilia ad humanas aſtutias revocabat, dicendo non poſſe Deum pro poteſtate facere ut voluntas qua illi libéret flecteretur; ſed neceſſe ipſi foret, prævidenti motus quos factura erat, eas illi circumſtantias aptare, quæ quaſi laquei greſſus voluntatis ſpontaneos implicarent & ſic in effectum à Deo deſtinatum perducerent, per inclinationes non à Deo immiſſas, ſed primitùs

mitùs ab ipsâmet oriundas, & à Deo prę. animadverſas.

2. Summus hujus ſententiæ fautorum labor in hac conſequentiâ fundatus eſt. *Voluntas movet ſe, ergo non movetur ab alio.* Quaſi aliquid latenti myſterii ſubeſſet in hâc veritate, *voluntas movet ſe*, quod non in hâc pari *rota movet aliam*, reperiretur. Unde, ſicut planè ſtipes foret qui ſic argueret. *Rota movet aliam, ergo non movetur à ſe*; ſic non poteſt meliori loco haberi qui hanc conſequentiam tuetur, *voluntas movet ſe; ergò non movetur ab alio.* Sed hoc per tranſennam dictum eſto.

3. Ad inſtitutum ut redeam; Sanctis Eccleſiæ Patribus, & præ cæteris Auguſtino, indictum eſt adverſus hanc excetram forte certamen. Toti fuerunt in eo ut confirmarent à Deo principia bonorum operum pendere, nec poſſe hominem ſine Deo præveniente in virtutem exilire. Cúmque hæc duo viderentur inter ſeſe conflictari, poſſe hominem ex vi libertatis & naturalium virium inter bonum & malum eligere, & non poſſe ex vi libertatis præcisè Bonum amplexari, emicuit æquivoca quædam vis ambiguitatis, quæ etiamnum hodie torquet ſpeculantes.

4. Ex

4. Ex hâc (quantum conjicere valeo) lite, & ex celebritate hujus propositionis quòd voluntas ex suis viribus non possit bonum, originem cepit sententia quædam magnæ in scholâ famæ, quòd habitus virtutum supernaturalium non tam Habitus forent quam Potentiæ; neque ex actibus creatæ, sed ab immediatâ Dei infusione & seminatæ & auctæ. Ulteriùs progressum est ut ipsi actus, etsi dicerentur aliquo modo à potentiis naturalibus exorti, tamen etiam hoc ita circumcideretur, ut nõ tam à præcedentibus in animâ supernaturalibus dispositionibus, quàm ab immediato & præsentaneo divinitùs influxu quodammodo totaliter, ministrantibus duntaxat naturæ viribus, pendeant; & eodem tempore habitus non ex vi Actuum sed ad præsentiam illorum quasi ex pacto aliquo cum Deo inito, sive incipiant, sive augeantur, divinâ tantummodo operâ; adeò ut quodammodò otiosi reddantur actus, nihil in homine efficientes sed quasi Deum admonentes; neque Habitus multum proficiant, cùm neque ex sese aliter comparentur ad vitam æternam, quàm ut moralia merita, hoc est ex pacto, non ex suâ naturâ vim habentes,

tes,& actus à præsentaneo Dei adjutorio pæne totaliter dependeant.

§. Hæ sententiæ, quorum sint Authorum, & quantum illis tribuendæ, meâ non refert: Explicationem enim molior, non Historiam; & illas produxi ut quid ego sentiam clariùs evadat. Ego itaque ad futuri opusculi institutum sic sententiam meam aperio & suppono. Supernaturalium actuum Objecta affero esse diversa à naturalium actuum Objectis; Finem quoque illorum à Fine naturalium; & tandem Efficientem causam, quia merita Christi Domini sunt Efficiens eorum speciale sub lege gratiæ; ante legem gratiæ speciale consilium voluntatis divinæ, quo Mundum ad adventum Christi Domini præparabat. Quoad cætera iisdem vel similibus viis (extra miraculi casum) processum esse; æternum Dei consilium, motiva & circumstantias prævias & causas tum naturales tum supernaturales tali ordine designâsse, ut ex vi illorum sequatur voluntatem in talem actum supernaturalem prosilire; neque esse ordinarie loquendo aliud Dei auxilium præveniens vel concomitans, sive præmotionem & prædeterminationem (seu influxum

quem-

quemlibet in actum ſupernaturalem,) præter hunc ordinem & ſeriem cauſarum externarum & internarum, verùm perductum uſque ad ipſum Actum.

6. Ulteriùs aſſero, Habitus ſupernaturales eâdem lege ab actibus ſupra naturam naſci, quâ habitus naturales naſcuntur ab actibus naturalibus; & nullo modo habere rationem Potentiarum, ſed eſſe puros Habitus; & hoc obtinere ſive in Sacramentis infundantur ſive extra; & quòd circa actus & habitus divini influxûs ratio ſit proportionata influxui Dei in actus naturales & eorundem habitus. Sed & actus & habitus ſupernaturales eſſe diſpoſitiones ex ſuâ intrinſecâ vi præparantes ad gloriam, non ab extrinſecâ deputatione ſed ex vi & virtute ipſarum entitatum; adeò ut anima quæ exit ex hoc mundo perfecta ſecundùm illos, ad viſionem beatificam, eodem modo quo oculus ſanus & in objectum directus ad viſionem objecti, comparetur; ut nihil illi deſit niſi illapſus ipſius objecti, non minus infallibilis quàm ejaculatio luminis à lucido. Hoc eſt primum præmittendorum & maxime neceſſarium.

Præ-

Præmittendum Secundum.

1. PRoximum & ex hoc consequens est, Justitiam seu sanctitatem sive Amicitiam cum Deo non esse constitutam essentialiter in extrinseco aliquo, sed esse intrinsecam dispositionem Animæ, sive per opera sive per Sacramenta acquisitam. Et evidens quidem est ex priori dicto. Cùm enim illic expositum sit quòd dispositio supernaturalis quæ in actibus & habitibus consistit, habeat ex vi suâ, quando perfecta est, reddere Animam videntem Deum, sicut sanitas & directio oculi reddit oculum videntem parietem, palam quoque sit non aliud quæri cum quæritur de Justitiâ & sanctitate & amicitiâ Dei in quonam consistant, quàm quid sit quod nos faciat cohæredes Christi seu Beatos; & constet ex priori dicto hoc in dispositione Animæ quæ in actibus & habitibus supernaturalibus posita est, esse collocatum; evidens est Sanctitatem & Justitiam esse Intrinsecas ipsi animæ.

2. Unde patet eos, qui in Extrinseco favore

favore Dei vel in applicatione Iuſtitiæ Chriſti ad animam collocant Iuſtitiam hominis, deceptos eſſe ex vocibus Sacræ Scripturæ & Sanctorum ad populum directis; in quibus non intelligebant myſterium quod latebat, ſed ſimplicium more ad ſonos literarum fidem adhibebant, ſine Theologicâ inquiſitione: & aliud ſenſuros fuiſſe ſi conſideraviſſent, ubi relatio inter duos terminos intercedit quorum alter eſt immutabilis, neceſſariô omnem mutationem ex alio termino originem ſortiri; unde, cùm Deus ſit prorſus immutabilis & unicus Actus, quòd dicatur eundem hominem aliquando amare, aliquando non amare ſed odiſſe, procedere non ex varietate quæ in Deo ſit, ut habeat differentes actus circa objectum, ſed ex mutatione in objecto; ut, quia objectum eſt aliud & aliud, idcirco aliam & aliam relationem habeat ad Deum; quæ relatio per Rationem attribuatur Deo abſque ullâ mutatione in Ipſo intelligendâ. Sic itaque, qui habet gratiam eſt amicus Dei & amatus à Deo; & qui eam non habet, eſt inimicus Dei; non per diverſam diſpoſitionem in Deo ad ipſos, ſed per differentiam diſpoſitionum in ipſis reſpectu Dei.

3. Adde

3. Adde his, Amorem Temporaneum Dei ſignificare actionem externam vel diſpoſitionẽ ad illam, quæ eſt diverſa ex purâ diverſitate Termini; ut, qui habet hanc voluntatem firmam bonos tuendi & latrones puniendi, eo ipſo ex quo Sortes eſt bonus, habet voluntatem tuendi Sortem; Sed, ſi Sortes evadat Latro, abſque aliquâ mutatione ſui, ex ſola mutatione quæ contigit in Sorte, ex vi ejuſdem voluntatis eſſe determinatum ad puniendum Sortem. Sic itaque eos qui perfecti ſunt ſecundum virtutes ſupernaturales amat Deus, & decernit & deſtinat iis præmia & Beatitudinem ex vi generalis voluntatis quâ vult talibus Beatificam viſionem; iiſdem vero, ſi defecerint à debita diſpoſitione, vult pœnas æternas infligere, ex vi generalis decreti, quo ſtatuit malos punire. Quæ generalia decreta cùm ſint immobilia, ſine ulla mutatione Dei eidem vult præmia vel pœnas, hoc eſt amat & odit ſine ulla mutatione alicujus virtualitatis vel formalitatis in ipsâ Divinitate; maximè cùm ex merâ conſtitutione mundi & ſeriei cauſarum & volitione eam perpetuandi, hi exitus bonis & malis præparati ſint, etiam ſine ulteriori & ſpeciali

reſpectu

respectu inter Deum & creaturam quæ mutatur.

Præmittendum tertium.

4. Tertia mihi præassumenda veritas est, Gratiam quam Scholæ vocant *sanctificantem* à Charitate non distingui; non illâ dumtaxat ratione quod utraque spirituali Animæ ut subjecto insint, & ab Aristotele didicerim hujusmodi solâ ratione distingui, cùm compositio ex partibus actu in composito distinctis primi noti negationem implicet; sed propriâ contemplatione, eò quòd & à Sanctis didicerim, & in ipsâ naturâ legerim humanam animam conditam esse ad visionem beatificam, & non viso Deo æternùm inquietam; & totam illam perfectionem, quam à Christo Domino partim accepimus partim expectamus, creaturis à Deo infusam & per modum ipsarum receptam esse perpetuâ experientiâ comperiamus. Unde Naturam unicam esse, quæ Substantia nostra sit; cætera hujus naturæ vel ab ipso Naturæ Genio addita, vel modos additorum, à

Chriſto donata intelligam. Verbi gratiâ Fidem & Scientiæ & Conſilii ſpiritus, modos quoſdam & determinationes eſſe potentiæ naturalis quem *Intellectum* dicimus; Spem vero & Charitatem, & reſponſuras his Spiritûs Sancti dotes, illi Naturæ poteſtati quam *voluntatem* nominamus, à Chriſto impreſſas qualitates ſeu modificationes eſſe comprehendam. Verbo, ſubſtantia noſtra Naturæ rationem habet ad ſuas Potentias non ſolùm nudas vel exercitio ſuarum virium confirmatas, verùm etiam ipſis donis ſupernaturalibus prædita & ornata. Quare, cùm diſtinguentes Gratiam à Charitate, hâc ſpeculatione id ſibi perſuadeant, ut, ſicut virtutibus Naturalibus id ſpeciem tribuat quòd ſint conformes Naturæ ſubſtantiali, & vitia oppoſita eidem malum concilient, ſic arbitrantur Supernaturalibus virtutibus deberi Gratiam velut Naturam cui ſunt conformes; Ego verò virtutes ſupernaturales excellentiorem trahere inde ſpeciem conſpicer, quòd ſublimiorem in gradum hanc ipſam naturam deducant, & ſint magis eidem conformes, aliam profectò Naturam, quæ *Gratia* appelletur, per conformitatem ad quam virtutum formam

nan-

nanciſcantur, agnoſcere, nullatenus tutum habeo. Eſto itaque *Gratia* ipſamet Charitas, denominatione ſolâ diverſa; eò quòd Charitas fovet motum animi ad Deum tanquam ultimum bonum; Gratia vero addat quòd hic motus ſit ſummus motuum, noſque in ſupremo & Deo dilectiſſimo creaturarum ordine collocet.

Præmittendum quartum.

5. Quartam veritatem ubi explicuero in arenam ad te deſcendo. Illa eſt, nobis non eſſe quæſtionem de hoc quid ſit eſſe *gratum Deo*, ſed quid ſit eſſe in *ſtatu* gratiæ; eſt enim lis inter Theologos utrùm quilibet actus Charitatis faciat perſonam Deo gratam, quomodocumque tuo fortaſſis inſtituto hoc ſatis ſit. Sed mihi nihil neceſſe eſt in anguſtias illius certaminis includi. Cùm enim quæſtio inter nos jactetur de moriente ſine actu præſentaneo, difficultas noſtra ſpectat ad *habitum*, nempe quis habitualiter in gratiâ exiſtimandus ſit eſſe, quod clarè non niſi ad habitum Charitatis referri

poteſt; cùm Actus ut præteriens, Habitus ut conſiſtens & firmans affectum conſideretur. Neque amplius de hâc aſſumptione laborandum mihi video. Etſi enim plura de ipsâ deducenda forent, tamen aptiorem illis locum argumentorum tuorum perpenſio commodatura eſt, ſi rectè præcipio mente quæ neceſſaria reſponſioni meæ ſunt futura.

6. De evidentiâ harum propoſitionum nihil loquor; Accipe illas vel ut de quibus nullum expecto diffidium propter longinquitatem à præſenti diſputatione; vel, ut demonſtratas in *ſacris inſtitutionibus*; vel tandem ut demonſtrandas, ſi perlectis quæ in Sacris Inſtitutionibus ſcripſi de iis non tibi ſatisfactum legitimâ oppoſitione oſtenderis: Moneo tamen primam veritatem ab univerſali experimento ſupernaturalis Actionis, & à lege Dei quâ naturæ cum ratione ſuperſtruat, pendere. Secundam à definitione Concilii Tridentini. Tertiam parùm proficere vel officere quod ſpectat propoſitam nobis litem. Tandem quartam à pluribus cenſeri ex Concilii Tridentini dogmatibus ſtrictiſſimè pendere. Quod ego ex his concluſum cupio,

eſt

est ut videas litem quæ videbatur vaga, satis arctis cancellis esse constrictam; reductam putà ad hoc quæsitum, utrùm secundùm leges naturalium actuum & habituum dimensa Charitas, in iis personis, de quibus est nobis quæstio, maneat constans & firma? Cùm enim per tres posteriores assumptiones esse in statu Gratiæ sit habitum Charitatis retinere, & ex primâ habeatur pensandam esse Charitatem secundùm leges dispositionum naturalium, quæsitum ad hoc rediit utrùm in proportione ad dispositiones naturales perpensâ Habitus Charitatis in personis subjectis disputationi nostræ inhæreat.

7. Sed aliquid ulterius quod premam habeo; nempe (si jure meo uti velim) te causâ cecidisse. Vel enim constabit manere Charitatis affectum, & ex eo capite victus cedes lite; vel apparebit non manere in illis Habitum Charitatis, & tum nullum mihi tecum de iis certamen est; Ego enim non ex probatione, sed ex suppositione (quæ omni probatione valentior est, ut quæ vicem Definitionis sustinet) accepi Iudicium illud activum de Bono æterno constans in iis esse; ut videre tibi licet in ipsâ propositione

quæstionis quam ipse formasti. Et quoniam propositiones assumptæ nihil obscuri in sese continent, non potes majorem evidentiam postulare. Velle enim ut hæ propositiones denuò demonstrentur, est totius pænè Philosophiæ & Theologiæ demonstrationem in opusculo adeò brevi contexere.

DEFENSIO SECUNDA.

Refellens

Argumenta Philosophica.

1. POllicitis serviendum est, Aggredior itaque insultus tuos, eodem quo in me directi sunt ordine. Primum, ad quem te animat Logica, repello, confessus Genericam hominis rationem in Animalitate positam esse; quam utrùm admissurus sit, etsi omnium doctorum consensu firmatam, Author *Concordiæ fidei cum scientiâ* ignoro; unde possem tibi opponere metuendam in illo viro tum ingenii subtilitatem, tum Eloquentiæ torrentem: Cæteros enim qui gre-

gregatim partes actu in compoſito per ſe uno velut aquam ſordent, te contempturum facile mihi perſuadeo. Subjicis, in operationis *modo* etiam *gradum* comprehendi: Quod in hoc congreſſu patior à te dici; in alio propoſito diſputationi ſcopo vel abdicarem integrè, vel certè quoad alterum ſignificationis membrum. Hinc deducis quòd par ſit effectus actûs alicujus in corpus & in animam; hanc conſequentiam prorſus rejicio, ex notoillo axiomate, *recipi unumquodque per modum recipientis*. Ut craſſiuſculè me explicem; Pilam in foramen vel cavum proportionatum conjice, media ſedebit; eandem quadrato ejuſdem vacuitatis cavo applica, tertiam præter propter partem non inſeret. Animæ & corporis receptivæ virtutes mirum quàm diſpares ſint; non eſt paritas expectanda impreſſionum in utriſque ab eadem actione. Et hæc communis tuæ conſequentię reprehenſio ſufficiat hoc loco, quoniam iterum in eodem ſaltu laborandum erit.

2. Phyſicam arceſſis in adjutorium, & experimentum tecum trahis non contemnendum, quòd nihil intelligere poſſimus vel cogitare ſine corpore vel motu

tu phantaſiæ. D. Thomas duo experimenta exprimit; alterum ex eo quòd læſo vel ligato cerebro experimur deficere cognitionem quam habitu ineſſe non dubitamus; alterum eſt quòd, cum quis difficilis eſt ad veritatem aliquam comprehendendam, Magiſter exempla proponit, (in Geometriâ figuras:) vel ipſe ſibi phantaſmata effingere laborat in quibus vel quorum auxilio illuſtretur intellectus. Rationes ipſius legere potes in *Partis primæ Quæſtione* 84ª. *Art.* 7°. & *Qu.* 85ª. *Art.* 1°. Experimento itaque cedo tum de corporeis tum de Metaphyſicæ abſtractionis entibus, ut ipſe D. Thomas teſtatur. Neque litigo de eo quod infers, quòd ex multiplicitate ictuum firmiora evadant judicia; & quòd pendeant ex primis (quas vocant) apprehenſionibus etiam candidè concedo; & unicam vocem in tuo diſcurſu repudio, vel magis diſtinguendam puto: videlicet quòd cum proportione inſeſſio Iudiciorum ſequatur ictus phantaſiæ. Poteſt enim intelligi hæc vox *proportio* intercedere inter ictus phantaſiæ & Iudiciorum firmitatem, & ſic falſa eſt; non enim eadem eſt proportio inter Iudicia, quæ inter ſimplices Apprehenſiones; neque

rurſus

rursus inter simplices apprehensiones & phantasmatum motus. Sin eô tantummodo respicis ut ipsa Iudicia ex multitudine ictuum phantasiæ qualemcunque majoritatem & excessum consequantur, sic aliqualem proportionem non rejicio.

3. Tertium insultum prosequeris rursus Logices ope; Ex quâ videris sumere, Judicia constare apprehensionibus simplicibus, sicut vides in Logicâ notari propositionum qualitates. Sed vereor ne illudat tibi Logica; neque enim ipsius est sub potestate de hâc quæstione judicare, sed Animasticæ. Apprehensiones itaque simplices quasi materia sunt & objectum judiciorum; & legitimè intellectui annumeratæ, faciunt illud quod voci *est* respondet, in quo consistit Judicii ratio. Abstracta est hæc speculatio, conabor eam nostris usibus accommodare.

4. Nisi itaque me fallat quam in his investigandis applicui sagacitas, invenio *intelligere* non esse aliud quam animam esse res quæ extra sunt, non quomodocunque sed intellectualiter. Neque me reprehendi permitto quòd definitum in definitione locem donec me explicue-

rim, coactus enim facio. Porrò, intellectualiter ineſſendi tres video gradus; alius eſt ſimplicium Apprehenſionum, ſecundus Iudiciorum ſpeculativorum, tertius Iudiciorum practicorum. Horum trium graduum primus videtur deficere à ratione intellectualiter ineſſendi; tertius, aliquid eidem adjicere, quod an proprium ſit ejuſdem generis an aſcititium dubitari poteſt. Quare, in medio gradu inveſtigandum eſt quid ſit *intellectualiter ineſſe*; neque dubito aſſerere conſiſtere illum in duplicatione exiſtentiæ ſupra exiſtentiam. Examinemus enim quid agam cum *judico* vel magis quid deveniam per actuale Judicium, & evidens eſt me eſſe hanc rem eſſe; ſicut enim per voces *Campana eſt ſonans* enuncio & patefacio quod Res quam Campanam voco eſt in certo motu & agitatione, ſic per eaſdem voces notum reddo Auditori quid ſit in Animo meo. Quare clarum eſt *Campanam eſſe in tali motu* eſſe interius in Animâ meâ: Alioqui non ſignificarem mentem meam dum dico *Campanam ſonare*. Ulteriùs examinem cur aſſentiar huic veritati *Campana ſonat*, ſeu quare intrinſecùs ſim Campana ſonans, & clariſſimè cerno

inde

inde me assentire huic veritati quia cognosco Campanam hoc suo motu incessere auditum meum, & afficere animum meum, seu Animum meum esse affectum à Campanâ sonante. Palam itaque est me assentiri Campanam sonare ex eo quod per prius cognosco seu sim Anima mea affecta, hoc est taliter qualificata seu modificata. Clarum itaque est assensum meum quo persuadeor Campanam sonare, esse in me mediante hâc alterâ quòd ego sim talis; quæ persuasio includit quòd ego *sim*, & confectum esse quod me-esse-Companam-sonantem per modum Iudicii speculativi, includat me-esse-meam-existentiam; hoc est, ipsam existentiam meam replicatam esse super semetipsam.

5. In simplici autem apprehensione hoc non video; sed quendam modum inessendi qui multum similis est illi quo figura inest Quanto, vel quantitas Corpori; qui modus sic transcendit modum essendi in loco vel in toto, ut Metaphysica Physicam, & intellectus sensum. Neque tamen par est modo quo objectum est in Animâ per simplicem apprehensionem; In eo quippe deficit, quòd tum in cæteris tum in ipso loco, potentiæ & a-

ctûs ratio invenitur; Nam locus sine locato vacuum foret, hoc est ens quod abstractè intelligi potest, sed rebus inexistere nequiret. Objecti verò ad intellectum comparatio est Entium in actu utrâque ex parte, & aptorum seorsim existere. Non est itaque inexistentia objecti per simplicem apprehensionem, vel per modum corporearum inexistentiarum, vel per modum intellectualis inexistentiæ, sed quidam modus Animæ proprius ex eo quod concreta est corpori & nuda potentia in genere intelligibili, tabula rasa & charta pura, in quâ necdum insculpta est ipsius Animæ Imago, sed pertinens magis ad figuram imprimendam; quæ integratur, non tam ut videns quàm ut videnda, ab impressionibus illis quas simplices apprehensiones dicimus.

6. Ex adverso ad formandum *Iudicium Practicum* tertius quidam modus inexistendi menti requiritur, includens quidem duos priores, sed addens illis. Apparet enim menti quòd objectum sit aliquid ipsius, non solùm quia patitur ab ipso, sed etiam quia sit aliquid mentis prout *Mens* sonat rem existentem in rerum naturâ, seu aliquid mentis quatenus

nus est prævia passioni per quam fit ipsum objectum. Bonum enim significat conforme Enti ut Existens est. Habet itaque simplex apprehensio ineſſe quoddam quasi Membri Paralytici; quod inest quidem, sed non habet rationem Viventis; id est, non est accommodatum ad motum & usum propter quos inest; Sic, quoniam ex vî simplicis apprehensionis non scimus an res sit, nihil sumus quod extra sit, seu non habemus quo possimus operari extra animam. Per Iudicium vero Speculativum jam anima fit potens ad operandum extra se: Per judicium verò Practicum, quo sumus Bonitas rei quę extra est, non tantum habemus posse operari sed actu operari, seu non posse non operari circumstantiis rectè dispositis, quasi ipsum esse-nos-rem-ut-bonam penetret, per intellectionem seu reflexionem Existentiæ supra existentiam, in existentiam supra quam fit reflexio, & uniat cognitum ipsi ut subest intellectioni. Non dubito quin ex hoc discursu videas non solum proportionem affectuum mentalium non sumi juxta mensuram simplicium Apprehensionum, ne dum phantasmatum; sed neque Iudiciorum Speculativorum.

7. Quo.

7. Quoniam in hac explicatione prolixior fui, transilire ad ultimam Philosophicarum objectionum opportunum erit; Non ut exemplum quod ingeris insolutum dimittam, sed ut illud cum ipsâ Ethicâ oppositione conjunctum simul excutiam: Neque credam magnam esse eorundem dissimilitudinem. Sed, antequam singula aggrediar, præmitto doctrinam Aristotelis & D. Thomæ expressam ipsis verbis D. Thomæ in 1ª 2æ Quæ 77ª Aº 2º. ad quartum *Philosophus dicit in septimo Ethicorum quod Syllogismus Incontinentis habet quatuor propositiones; duas universales, quarum una est Rationis putà nullam fornicationem esse committendam; alia est Passionis, putà delectationem esse sectandam; Passio igitur ligat Rationem ne assumat & concludat sub primâ, unde eâ durante assumit & concludit subsecundâ.* Hâc doctrinâ suppositâ vides in Incontinente non deleri, non minui dictamen Rationis; oppositio enim, si qua foret, non inter Universales, quarum utraque vera est, sed inter particulares ponenda foret; in quibus non est locus, cùm unica tantùm sit; Manet itaque dictamen de Virtute integrum.

8. Huic doctrinæ adde aliam ejusdem

dem Sancti; nempè reſtitutum ſanctitati è peccato, interdum cum minori interdum cùm æquali vel majori charitate reſurgere; Unde, quantum inſtantia tua tangit Incontinentes, nihil agis niſi probes eum ſemper cum minori gratiâ reſurgere, vel certè ſupponas; quod ſi feceris, non de Incontinente, ſed de Continente in viâ corruptionis, non emendationis vel conſtantis Incontinentiæ, loqueris. Imò, per illas voces quibus deletum judicium & inter mortuum ſignificas, planè de vitioſo habitualiter & perfectè & non de Incontinente ſermo tuus agit. Et hinc vides quod cum Theſes meæ tantùm de Incontinentibus agant, in quibus firma & radicata manet ſententia quæ ſecundum Rationem eſt, palam eſſe neutram inſtantiam vim aliquam inferre veritati à me propoſitæ. Verumtamen, quoniam non eſt propoſitum mihi è caſſibus tuis me expedire, ſed veritatem exponere & ſequi, fateor doctrinam hanc Ariſtotelis non mihi ſatisfacere. Scio enim compertis experimentis etiam minorem propoſitionem ab incontinentibus ſubſumi; & eos aliquando gementes, velut muta animalia, vel ſodalium violentiâ vel à ſuâmet illectos

&os carne ad voluptates abduci. Quid putes de illo à quo cum occurrens familiaris peteret quonam ambularet ; respondit, vado traditum Animam Diabolo, corpus meretrici, & facultates lenæ. Non sciebat ille se male hîc & nunc eligere ? Quid dicam de dubitatiunculis quæ in ipsa executione interveniant ? Itur, redditur, acceditur, receditur; prorsus videas quasi culicem circumvolitantem candelæ flammam donec alis correptis intereat.

9. Unde itaque est quòd præfert voluptatem hujusmodi Incontinens? unde, nisi quòd illa sit spirituum in corpore nostro potentia, ut faciat hominem operari purè ex vi Passionis, si in magnâ copiâ superet eos qui Rationi famulantur. In phreneticis & amentibus hoc clarum est. Motus primò primos agnoscunt plerique Theologorum. Quod itaque præveniendo Rationem facit Passio, tantundem etiam adversus contradicentem (etsi cum contradictione) perficit, si quando abunde superat ; non ex vi Iudicii singularis oppositi Iudicio singulari oppositæ Rationis, sed ex ipso impetu & quasi furore præsenti ; quamvis non negem sæpe ligare Rationem nè subsumat

sub

ſub majori propoſitione Rationis; ſaltem in ictu concludendi, juxta doctrinam Ariſtotelis.

10. Ex hâc reſponſione vides te fruſtra conare labem æternam in animum inducere; poſtquam non dubito te poſitis contrariis judiciis in Animâ, facilè aſſenſurum in morte debilius judicium deletum; iri, unde ſi forent particularia judicia contraria, deletum maneret debilius. Sed particularia judicia manere non poſſunt poſt mortem niſi in univerſale Iudicium labem invexerint, quia circumſtantiæ non ultra ſuperſunt: Nec ſunt itaque, neque ſi eſſent quicquam nocerent, quia dum forent præcipua erat ipſa Paſſio ſeu motus ſpirituum.

DE-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 29;ZEN Leibn. Marg. 29, [39] - 33
PUBLIC DOMAIN

DEFENSIO TERTIA.

Refellens

Argumenta Theologica.

1. AUdiamus modò quæ ex Theogiâ adverſus hanc ſententiam meam proferuntur. Primum inde tormentum admovetur quòd dicatur Incontinens amare aliquid finaliter præter Deum cum ipſo Deo, & proinde non amare Deum ſicut debet amari. Acuitur hoc telum, addendo, Incontinentem dum peccat exiſtimare ſe perdere gratiam Dei & viam ad beatitudinem, & (quod ſequitur) præeligere voluptatem vel aliud bonum temporale Beatitudini. Huic ut ego reſiſtam impetui à D. *Thoma* petendum eſt auxilium; fumo enim vulgariter inter Theologos excitato præſtrictis oculis, non ſatis diſpicis, Eruditiſſime vir, in quo primò diſſepiantur viæ meæ à callibus modernorum. Lege itaque

itaque in D. Thoma 2dâ 2æ Qe 23a. Ar. 10mo corpore, has voces. *Et, si quidem Charitas esset habitus acquisitus ex virtute subjecti dependens, non oporteret quod statim per unum actum contrarium tolleretur; Actus enim non directè contrariatur Habitui sed Actui; Continuatio autem Habitûs in subjecto non requirit continuationem Actûs; unde ex superveniente contrario Actu non statim Habitus acquisitus excluditur.* Deinde discurrit quòd quia Charitas est habitus *infusus*, propterea per unum actum tollatur. Ex quo discursu cupio te perspicere quàm diversa abeat tua argumentatio à succutiendo fundamento meo. Tu enim id constanter moliris, ut ostendas inesse *actum* aliquem in Incontinente *actui* Charitatis oppositum, & tum eviciſſe causam gloriaris. Ego ex adverso assumo Charitatem esse *habitum acquisitum* & dependentem à subjecto, tum quasi ab Agente, tum quasi Patiente; & discurrendum esse de illâ sicut de illis aliis docet Sanctus Doctor in vocibus præcitatis; nempe, quòd non quolibet actu contrario tollatur. Unde, quæ mihi tecum est litem sic agitari oportet, ut quæratur quibus vel quot actibus tollatur, non ut ostendatus aliquis unus actus contrarius inesse.

2. No-

2. Notandum etiam tibi est primum dissidium inter oppositos mihi Theologos & me pendere ex hoc paxillo, utrum *infusio* Charitatis significet Infusionem seu actionem solius Dei *immediatam*, an talem quæ mediantibus secundis causis, & maximè ipso diligente & actibus ipsius, perfici consueścat; Neque firmius fundamentum habere vestram sententiam, quàm quòd in explicatione similium vocum Sacræ Scripturæ & Sanctorum nitatur; eam quoque æquivocationem totis Sacræ Scripturæ voluminibus elidi; cùm in ipsâ omnia eminentia providentiæ divinæ effecta tribuantur *Deo*, etsi *per secundas causas* esse administrata abundè liqueat. Attamen, quantam mutationem in Ecclesiâ hæc una doctrina effecerit, vix credi potest, ut in sequentibus ex parte disci poterit.

3. Hoc suppositò, jam (si ipse velim) responsum est ad argumentum tuum. Admisso enim quòd Actum peccati mortalis incurrat Incontinens, sed non talem qui tollat Habitum, Argumentum totum dehiscit. Sed mihi aliud quoque scrupulum movet; fortiter enim premis Incontinentem credere se vitâ æterna excidere;

cidere ; quod ego tantum abſum ut exiſtimem, ut auſim aſſerere me certum eſſe de contrario. Scio enim Incontinentes plures (ſi non pleroſque) ſpem reſurgendi habere, imò & propoſitum; quomodo itaque urgere potes quod credant ſe excidere vitâ æternâ ? Quotidiana ſunt exempla luxuriantium pridie, & poſtridie ſeſe Religioſo famulatui cum animo nunquam ad peccata redeundi mancipantium, & ipſam luxuriam augentium ex hoc voto eam nunquam repetendi : Novi cui juveni à Religioſis datum ſit conſilium, ut ſatiaret ſe voluptatibus, eo fine ut poſtmodùm contemneret. Quis quamne affirmabit eum deſperaviſſe de Beatitudine , vel non retuliſſe ad eam ipſum vitii actum, ſive executorem conſideres ſive conſultorem ? Quâ prudentiâ actum ſit nihil diſputo ; ſed non ex deſperatione ſalutis actum eſſe, conſtans pronuncio. Enimverò quis unquam Theologorum docuit omnem qui peccatum mortale plenâ voluntate commiſit, habitum Spei perdère ?

4. Confirmas propoſitum argumentum ex alio dogmate meo ; quo aſſero neglectum perveniendi ad Beatitudinem ſtatum peccati mortalis inducere ;

&

& ſubſumis Schiſmaticum à me propoſitum toto vitæ tempore (ut tu ais) negligere vitam æternam, eò ſcilicet quòd perſuadeat ſibi ſe in ſtatu æternorum ſuppliciorum meritorum degere. Lege itaque Characterem, quem delineo illius Schiſmatici de quo ago Parag. 9. Trutinationis quartæ. *Hujuſmodi ſunt quos nos Schiſmaticos tempore perſecutionis appellare ſolebamus; qui de nullo fidei articulo dubitabant* (&, quod ſequitur, quòd oporteret membra eſſe Eccleſiæ Catholicæ; unde appellabantur Schiſmatici, ſed non erant) *ſed jacturam opum & miſeriam perſecutionis ſubire non audebant, privatas orationes Catholicè legebant; quandocunque auderent, auxilio erant pro fide laborantibus & patientibus; cupiebant etiam Catholico ritu vivere, & querebantur de imbecillitate ſuâ.* Tune hos dices neglexiſſe totâ vitâ Beatitudinem? Si dixiſſes non idoneè curaviſſe, tecum ſenſiſſem: ſed certè aſſiduam ſollicitudinem & ſpem exprimunt hæ voces ſeu continuata illorum converſatio.

5. Vis ut ſeveriorem diſcurſum hiſtoriolâ temperem. Narravit illam *Georgius Conierus*, apud quem, occaſione fidei Catholicæ *Lovanii* exulantem, juvenis hoſpi-

hoſpitabar. Erat verus Iſraelita in quo non erat dolus, neque inventum eſt in ore ipſius mendacium; & narrabat quorum pars magna fuit. Induerat arma pro Fide Catholicâ in inſurrectione quæ dicebatur *Comitum*; & captivus factus pro eâdem eſt morte condemnatus; Sed quoniam judices habebat conſanguineos, ſæpiùs productus ad mortem, ſæpe in carcerem reductus eſt; ut plures deducendi illum à conſtantiâ fidei tentarentur ſemitæ. Inter cætera perductus eſt ad illum Miniſter quidam *Gilpinus* nomine, ejuſdem (quantum memini) Eccleſiæ priùs Catholicus Parochus, ut rationibus eum averteret ab obedientiâ Eccleſiæ; qui & multa in eum finem diſſeruerat. Cum *Conierus* (ſoli erant) Tu (inquit) *Gilpine*, utriuſque religionis Bona & Mala nôſti, cùm in utrâque vixeris; Ego indoctus ſum, neque ſatis tuis argumentis faciendo; Adjuro te igitur coram Deo vivo cum conteſtatione Fremendi illius Iudicii, ut ſincerè reſpondeas mihi utra fides ſit potior. Hîc ſenex cohorruit, & coopertus lachrymis *Conieri* manus arctè ſtrinxit, cum his vocibus, *Coniere, ſta fortiter ubi ſtas; unica Catholici ſides eſt recta; quis dabit mihi ut*

totius

totius mundi permutatione tuæ ſimilem conſtantiam mercer; ſed cor mihi deeſt. Sic ille, ſed corde pavido retroverſus eſt ad antiquam conſuetudinem. Addebat (ſi ſatis memini) ſe in illo ſtatu nullo præmio moriturum. Certè, is ſenſus eſt plerorumque id genus hominum; quos mirum eſt quàm ſolliciti ſint ne deſint laborantibus Sacerdotes ſub ipſo vitæ exitu; Unde & ſolicitudo & ſpes Beatitatis ultra omnem cavillationem in iis manifeſtæ ſunt. Ex quibus evidenter vanus eſt tertius inſultus qui totus conſumitur in probando quod deturpatus ſit animus Incontinentium; de quo nulla intercedit contentio, quæ tota eſt de quantitate deturpationis; & quid, non in vitâ, ſed in mortis articulo ſit futurum.

6. Quartus impetus à verbis meis oritur, quibus aſſero hujuſmodi homines, ſi locus pœnitentiæ in extremis detur, ad Deum ſe converſuros & petis à quonam affectu vitioſo? mortali an veniali? & utrumque impugnans, Primò negas â *mortali* affectu eos reſilire poſſe, cùm prævalens Iudicium de Bonitate futuri ſæculi hoc arceat; deinde neque *veniale* admittis, cùm veniales affectus in morte non mutentur uſque ad reſumptionem corpo-

corporum. Huic tuæ cogitationi, quid si opposuero, me nôsse quòd à vitioso affectu, putà pusillanimitate & inconstantiâ, de quâ dolent, convertantur ad Deum; utrùm autem Lethalis illa fuerit an Venialis ignarum esse? & oppositioni tuæ adversus veniales affectus reponam, in tractatu meo *de medio statu* sermonem esse de affectibus non retractatis vel quadamtenus solùm emendatis, non de iis qui detestatione deleti sunt; qualis est pusillanimitas Schismaticorum, de quâ contristantur, sed cum tentatio urget passione vincuntur; quantum ad affectus mortales, non continuò si sint de objecto mortali consequum esse ipsos etiam lethum inferre Animæ, sed & extrinsecùs & intrinsecùs pati *remedium*; inter quæ an hoc Iudicium prævalens unum sit me disputationem permittere posse, salvâ veritate Thesis. Sed candidè tecum agam, & ad illud quod in ipsâ Trutinatione quartâ signatè expressum legere possis, remitto; nempe, affectum à quo resiliunt esse *actu* mortalem, non item *habitu*, quia non sit habitualis; Quod ut facilius digeras, duos dissimulandi fidem modos mente compara: alterum eorum qui determinatè pro-

nunciant & apud ſeſe conſtituunt, ſe uſque ad mortem ſimulationem perducturos; alios qui in prementibus circumſtantiis ſimulant, ſed quam valent cautiſſimè pręveniunt hujuſmodi articulos, nunquam tamen apertè fidem coram Iudicibus profitentur; ſed neque conſtantem animum habent non profitendi. Hos ſi perſpicaciùs intuitus fueris, deſcriptos invenies §. 11. & ſolis *actibus* peccare, nec *habitu* eſſe vitioſos.

7. Ego interea Arietationi tuæ quintæ me interpono. Increpas me itaque quòd adverſus communem Theologorum ſententiam non admittam deliberationem, quâ Anima agnoſcit actionem ſuam eſſe adverſus mandatum, eſſe ſufficientem ut Charitatem tollat. Verùm, ego non memini quòd unquam hoc effuderim. Si dicas me non credere omnem hujuſmodi actum interimere Animam, non tam pręfractè inficier; ſed quòd cauſſatus ſim hoc defectu Deliberationis fieri, non itidem recordor. Novi me alicubi expoſuiſſe, quomodo non omnis tranſgrediens mandatum ſit contemptor Majeſtatis divinæ; ſicutneque omne vitioſè contra legem Regis perpetratum cenſetur crimen læſæ Majeſta-

jestatis. Novi etiam quòd dixerim Malum Peccati bono Virtutis esse compensabile, & non ex offensæ Personæ granditate infinitam deformitatem trahere : Novi etiam meum esse quod citas, peccatum non esse mortale nisi interimat Charitatem, est enim hæc ipsa definitio peccati quatenus mortalis est ; sed, quòd aliquid horum ex defectu debitæ Deliberationis eveniat, nisi ipsum locum cites non reperio. Confundis itaque quæstionem imponendo caussam quam ego non assigno. Causa enim cur talis actus non impediat finalem salutem Animæ, non est quia non est deliberatus, sed quia transit & non manet in habitu eò quòd cum passione transeat.

8. Urgebis fortassis non esse mortiferum, cùm vita Animæ in Charitate consistat, eam autem non auferat. Sed hanc tibi consequentiam refuto : Num enim venenum non est mortiferum, si propterea non interimat quia Antidotum præsumptum fuerat, vel etiam post venenum priusquam se in viscera diffudisset. Premis ipsummet cui displicet suus actus fateri se bonum temporale prætulisse æterno. Non diffiteor ; sed si fatetur se malè fecisse, pariter fatetur se judicare non fuisse præferendum. Ut quid ergo statum præteritum, quem vides evanuisse,

nuisse, contra præsentem & vigentem urges? Melior est canis vivus mortuo Leone. Quomodo autem inferas securè licere hujusmodi homini peccare, nihil percipio; nisi putes scienti se facere malè, conscientiam posse dictare ut agat, cùm ipsum dicere actionem esse *malã* sit dicere eam non esse agendam. Sed fortè existimas nihil mali fieri homini nisi tollatur Charitas. Adeonè oblitus esse possis quid Theologi de venialibus generaliter pronuncient; videlicet, neque auferre Charitatem, & tamen cum gravia sunt, summoperè animæ nocere, & etiam in Mortem dispositivè præcipitare.

9. Sexto loco *Iudicium* ipsum examinare prætendis: Sed in ipso exordio impingis adversus ea quæ in propositione quæstionis declarâsti. Illîc enim profiteris Iudicium debere victrix esse cæterorum judiciorum; hîc asseris satis esse in quocunque gradu, &, si maneat in ullo gradu activum. Sic vel contraria mihi imponis, vel conciliationem admittere debes; nempe ut tum duntaxat censeatur activum cum cæteris prævalet; hoc est, quando non obstantibus cæteris est activum. Unde fictitium est quod subsumis nullo unquam tempore in actum procedere; nunquam enim non in actum procedit,

nisi

nisi quando vehementi tentatione obruitur, quod tu fingis perpetuum esse. Unde deterius adhuc est quod assumis, hoc Iudicium cedere cuilibet minimæ tentationi : Et ejusdem rationis est quod infers, non requiri ullum omninò Iudicium practicum. Quæ, quia sunt clarissimè adversus ea quæ ipsemet exposuisti in propositione quæstionis, & sine ullâ probationis specie frigidè illata, gratis tibi remitto quæ tu gratis mihi imposuisti.

10. Ex accidenti gravas erratum, eò quòd afferam communissimam rationem Boni æterni sufficere ut sit Fidei objectum ; neque consideras quid pueris, quid rusticis, quid non instructissimis antiquorum sive Patrum sive Judæorum ante adventum Christi, præjudicii inferas.

11. Non satis erat ferro depugnâsse, nisi pompam quoque instruxisses. Sic habet usus sæculi ut magis tonitruis utantur quam fulminibus; & plura inferant fercula quæ spectentur, quàm quæ gustentur. Necesse proinde fuit terricrepos illos sonitus à Fide & praxi Ecclesiæ reboantes adducere, quibus Rhetorum more clauderetur tua in me actio. Alióquin non possum te adeò imperitum disputationis adversus heterodoxos autumare, ut non intelligas quam levia sint

quæ hoc loco intentas ſpicula, vel dubites totidem in adverſum facillimè congeri, ſi delectaret ea quæ faciendo populo idonea ſunt in ſeveram Scholæ palæſtram introducere.

DEFENSIO QUARTA.

Refellens

Argumenta à Chriſtianâ Fide & Eccleſiæ Praxi deſumpta.

1. QUoad tua itaque quæ producis è Sacris Libris teſtimonia, ſic enuncio; Inter utranique litigantium cohortem conventum eſſe, has voces de ſervandis mandatis & dilectione cum proportione explicandas eſſe, ut qui amplius ſervat, plus quoque diligat; qui minùs, minus etiam diligat: Nam etiam tui Theologi non admittent niſi mandata perfectè obſerventur non futurum Charitati locum; pœnitentibus, & quidem ſeptuagies ſepties, indulgebunt, & credunt nos advocatum habere apud Deum. Quod autem ſupponis in impœnitentes

tentes me admittere Charitatem toto §. 11° Trutinationis 4tæ confutatur. Schiſmatici enim, quos adeò premis, in perpetuâ quadam ſunt pœnitentiâ; aut non putes eos qui fugiunt perſecutores profiteri fidem in demiſſiori quidem gradu quàm qui eam ſuſtinent, ſed tamen verè; exilium enim etſi voluntarium, exilium eſt & ſpoliatio, ſi propterea exerceatur ne in perſecutione ſuccumbatur. Hi itaque Schiſmatici quantum ſe celant & incommoda ſubeunt nè protrahantur in certamina quibus ſeſe impares agnoſcunt, eatenùs profitentur fidem; & quatenus ſubveniunt Sacerdotibus & aliis in nomine Prophetæ & Diſcipuli, non ſunt amiſſuri mercedem ſuam, etſi ad ſublimiores gradus Confeſſionis non audeant aſpirare, ſed quoties incidunt cedant. Vos autem ſecundùm externæ diſciplinæ canones computatis etiam internos fructus, neque recordamini quòd homo ſecundum faciem judicat, Deus autem cordium cognitor eſt.

2. Levior eſt vis ſententiæ *Paulinæ, quod non eſt ex fide peccatum eſſe*, ex quo arguis Schiſmaticos quoties in tentationem incidunt delinquere; quod ad te diſputare Albium falsò ſuſcipis: Ex eo quòd non intelligas ipſum Charitatis Habitum poſt Actum

remanere, tantundem esse ac judicare se malè feciſſe practicè; hoc est, pœnitere in ipso animo. Sed ipsimet (urges) non hoc intelligunt; & quando urgeo plures decipi de statu Animæ suæ, sed non propterea statum habere quem suum esse credunt, de gradu sanctitatis suæ decipi existimas. Insto de Sanctâ *Teresâ* quæ persuadebat sibi omnes hæreses & mala, quæ seculum illud infestabant, à Deo permissa esse propter peccata sua; Quid de altero Antiocheno censes, cujus meditatio quotidiana erat totam Civitatem Antiochenam propter pietatem suam rectà in cælum ferri, se solum peccatorum suorum pondere in inferos demergi. Quomodo pusillanimes, qui omnia ferè quæ aggrediantur esse peccata lethifera sibi persuadent, consolaberis & eriges? Persuadebis iis verè illos adeò peccatores esse quàm sibi ipsis videntur? & verè omnia opera quæ cum hâc persuasione ab illis fiant in judicium & damnationem cedere? De Stâ Catharinâ Senensi manet scriptum cum sese nefandis cogitationibus oppressam crederet Christum testatum ipsi esse sese interim in imo ipsius corde fuisse. Vides itaque non oportere trahi ab opinione rudium hominum quis sit status Animæ ipsorum, sed à principiis Theologicis.

3. Sed

3. Sed urges, quòd *qui novit voluntatem Domini & non facit vapulabit multis.* Quasi ego negem crimen Schismatici gravius esse quia permittat scientiam suam à passione superari. Habebunt & crimina suas pœnas, & pœnitentia meritam coronam. Neque tibi de explicatione tuâ negotium facesso, sed applicationem iniquam esse & præter propositum casum; *externa* sola cogitas, *interiorem* animi habitum non perpendis.

4. Urges ulteriùs necessariam esse scitu hanc doctrinam si vera sit, & per consequens Apostolis & Sanctis fuisse prædicandam, quam infra conaturus es demonstrare, etsi vera foret, non esse publicandam. Tu constantiam tuæ dictionis perpende. Ego verò ut utilem ad spem iis de quibus loqueris habendam, esse hanc doctrinam non inficior, sic non necessariam propterea profiteor; utpote sine qua exerceri possit Christianæ pœnitentiæ opus; putà, præterita vitæ scelera detestari, & futura bona quàm possunt ardentissimâ fide expostulare.

5. Sed nemo antè me novit hanc doctrinam. Quis tibi aut mihi hoc spondere audeat non millies ab aliis repetitam, & in pluribus tum Sanctis tum Theologis scriptam, etsi ad nostras aures non pervenerit.

Vanæ ſunt de hujuſmodi ignotis Prophetiæ : Sapientis dictum, *nihil jam fieri quod non ſit actum prius*; quod ad dicta æquo jure ampliari congruit.

6. Proximus locus tibi ducitur à Fide Chriſtianorum, hanc vitam eſſe Meriti locum ; &, quantumvis fortaſſis alios Theologos habeas diffidentes, & merita futuro etiam ſæculo inferentes, me tamen ſocium & conſentientem habes, & agnoſcentem non eſſe cum malâ lite uſque ad Judicem perveniendum. Sed oro te ut recogites animo diſputationem eſſe inter nos de habitu charitatis in hoc ſæculo acquiſito & ex hoc ſæculo delato, qui illîc nihil mereatur, ſed tantum in fructum ſibi connaturalem ex vi exiſtentiæ Animæ protuberet, hoc eſt in actum charitatis conformem gradui ipſius, & debito tempore in præmium tali actui correſpondens. Vide nos nullum Meritum in futurâ vitâ peccatoribus aſſignare.

7. Sequens objectio captum meum ſuperat; ego enim inter mortales repens & ab hominibus & per homines aliqualem ſcientiam corradere tentans, nihil Fide valentius adhuc inveni ; & non Fidem à Naturâ ſed Naturam à Fide ſuperveniente & roborari & præveni i ad proprias fidei actiones percepi. Explicanda itaque eſt magis

gis propositio quam assumis, alioqui non facile eam mihi persuaseris. Ais itaque homini persuaso aliquod faciendum mortaliter eum lædere, mortale esse illi. Peto; num ex adverso Homini credenti aliquid non esse mortale non sit mortale, & permissum velis Naïribus Indorum fœminas quascunque nobiles incursare, aliis homicidia, aliis furta, Judæis vindictam, adhærentibus Apologiæ Casuistarum ea omnia quæ famosi illi Casuistæ docent; in Regionibus ubi sunt publica puerorum prostibula (ut de Persis & & Sinis fertur) ipsam Sodomiam? nescio enim cur contraria contrariis non sint reddenda.

8. Si sic se res habet, væ Theologis adeò liberè de mandatis divinis disputantibus, & pietatem existimantibus si habenas retrahant, quia vident sectatores suos propterea honestiùs vivere: profectò pares sunt legisperitis. Judæorum qui alligant onera importabilia & imponunt humeris hominum, cùm Christus jugum suum suave & onus leve esse confirmet. Quod non in eum sensum trahi velim quasi probem latas semitas eorum, qui, ut ludebat Sorbonicus Doctor, *tollunt peccata mundi*; sed quôd

velim

velim Theologos instare cupiditatum sublationi quæ est verè semita exhibendi jugum Christi suave; & Iurisconsultis relinquere eam curam, quousque extendant se præcepta, sive divina, sive Ecclesiastica vel politica, quibus hodie intumescunt Theologorum & Religiosorum volumina. Væ tandem viris quoquomodo citra plenitudinem prudentiæ timoratis; quorum vitam necesse est senticetis undique esse obseptam, & intellectum scrupulis offuscatum præ sollicitudine Deo placendi.

9. Et mihi quidem sufficeret quam supra tradidi doctrina, hujusmodi homines, de quibus est lis nostra, *actu* peccare, sed non propterea *habitum* charitatis amittere. Sed quia fortassis tibi quidem responsum videres, sed in tenebris quererereris destitutum, disseco tibi actum de quo disputas; ut cum videris quid intus sit, ipse judex veritatis constituaris. Exardescit in vindictam qui injuriâ affectus est, & recogitat secum adversus Dei mandatum esse inimicum occidere, resolvit tamen se occisurum. Occurrit, si feceris non supererit modus vitæ æternæ consequendæ. Huic motui potest unum horum opponere; etsi moriar

riar in ipso actu & nunquam vitam æternam consequar, faciam tamen; vel, Deus bonus est, supererit vita ut Animæ meæ consulam. Utrovis horum confidat, Actus externus est mortalis, & in foro Sacramentali condemnatur peccati mortalis; sed, quam dispositionem faciat in interiori Animâ non adeò liquet. Sicut enim qui Romam proficiscens divertit extra viam ut Civitatem insignem visat, non propterea iter & itinerandi prosecutionem deserit, sed interpolat; sic neq; hic totius vitæ suæ institutum, quo ad Beatitudinem fertur, abrumpit, sed interjungit duntaxat animo repetendi. Unam itaque actionem, non totam vitam, vindictæ donat; & illam quidem non refert ad ultimum finem, sed reliquum vitæ sacrum eidem retinet.

10. Delinquit itaque; sed, utrum hæc ipsa actio non admittat secum etiam actum quo velit in æternitatem solum Deum æstimare bonum, in tenebris adhuc latet. Dicunt Theologi, mulierem quæ contrahat Matrimonium eâ conditione interpositâ ut liceat ei cum adultero commisceri, nihil efficere; quia conditio adversatur essentiæ contractûs, cùm fit reservatio corporis sui & non

plena

plena deditio. Longè itaque potiori consequentiâ, qui sic renunciat Beatitudini ut intendat post hoc factum omnem operam ipsi impendere, non absolutè renunciat; quare cum actus interior hujus hominis sit talis, *Agnosco me perdere jus vitæ æternæ, sed credo me recuperaturum & hoc intendo*, implicatorius quidam actus est, quo vult & non vult, quia non clarè comprehendit quid velit. Theologi autem quos tu sectaris unam tantummodo contradictionis partem contuentur, & pronunciant parte inauditâ alterâ; Deus autem qui videt utramque partem, & quantum præsentis boni affectus prævaleat vel cedat boni æterni desiderio, solus potest esse Iudex an actuale desiderium sufficiens æterni boni possit consistere cum hoc affectu quo fertur ad præsens; & non judicat secundùm hoc quod ipse homo de se judicat, sed ex patente ipsi veritate & affectu intimo cordis ipsius hominis.

11. Cùm enim Peccatum sit secundùm modum cognitionis, qui putat se peccare mortaliter agendo propositam sibi actionem, non potest peccare nisi secundùm significationem quam sibi format harum vocum; ipse enim has voces credulitate

dulitate tenet non ſcientiâ. Et Theologi quidem explicant quaſi nullus ſupereſſet affectus vel ſpes Beatitudinis: Peccans verò nõ apprehendit hoc; vel, ſi voce tenus confiteatur, mente contra perſuaſus eſt. Pete enim an credat per reſipiſcentiam non poſſe recuperari cælum? Reſpondebit proculdubiò, poſſe, quia Theologi hoc etiã docuerunt; quomodo non ſibi contradicant, ſaltem quoad ſpeciem dictorum, ipſi viderint. Sed illi quidem reſpondebunt ſe loqui ſecundùm præſentem Iuſtitiam, quod peccantes non intelligunt quidem, ſed ex eo quòd nihilominus credant patére ſibi per pœnitentiam viam ad cælum, tantundem in Animo habent. Sunt quidem peccatores qui nunquam intendunt pœnitere; ſed, an hi verè credant ſe peccare mortaliter, vel eſſe omninò vel beatitudinem vel pœnas, quomodo verè fideles credant, prorſus neſcio; hoc ſcio, non eſſe ex his de quibus ego ago, qui habent hoc certum aliquando ſe pœnitere velle.

12. Hi itaque de quibus noſter eſt ſermo, cupiditatem æternæ vitæ expreſsè habent, & ſpem ejuſdem; ſed quòd ſint in ſtatu peccati mortalis, dumtaxat

in

in notione confusâ quam non intelligunt. At enim quid significat hoc *secundum præsentem justitiam*? reipsâ non aliud quàm peccantem hâc actione & dum continuat hunc affectum se elongare à Beatitudine. Sed instant Theologi, non posse suis viribus resurgere, & propterea quantum est ex sese omnino perdere Beatitatem. Sed si considerarent invenirent neque Mercatorem posse conquirere divitias sine providentiâ Dei, neque tamen propterea projicere amorem divitiarum quia nonnunquam prodigit & nepotatur.

13. Aliud moneo, Theologos sic discurrentes ut ex Objectis qualitatem & gravitatem criminum trahant, cum inter objecta familiaria versantur quæque cognitioni nostræ plane subsunt, non malè definire; sed, quando ad Deum & supernaturalia eosdem discursus erigunt, vitam Christianam confundere: Faciunt enim rationem cujuslibet peccati enormiter gravem, rationem autem virtutum prorsus vanam & nullam, quia utraque ad majestatem divinam comparant. Res autem est, quod & vitia & virtutes sunt dispositiones & qualitates Animæ nostræ, & eatenus pretium habent qua-

quatenus Animam vel bonam , hoc eſt aptam influxui Beatitudinis ; vel malam, hoc eſt eidem ineptam reddant ; ſecundum modum & quaſi quantitatem ipſius Animæ, non Objecti , cum quo nulla eſt comparabilitas. Morales autem illæ conſiderationes reddunt hominem deſperabundum, inertem ad bona opera , ex eo quod docentur eſſe inutilia ſi homo ſit extra ſtatum gratiæ , & eſſe extra ſtatum gratiæ per leviculum affectum circa mille objecta à Caſuiſtis enumerata , & de remiſſione peccati nunquam poſſe confidi ; unde vita Chriſtiana tota terroribus gubernatur , & fit prorſus horrenda & Acheruſia, niſi ipſa natura in pleriſque reſiſtat, & hæc terriculamenta averſetur.

14. Tandem te ad univerſalem vitæ Chriſtianæ cultum retrahis,quæ tota conſiſtat in militando adverſus concupiſcentias & paſſiones ; Sed , in illo peccat ratio tua quia videaris hunc cultum in indiviſibili conſiſtere arbitrari, & cum in confuſo acceperis in quo conſiſtat vita Chriſtiana , pergis quaſi qui in culmen ipſum non pertigerit non ſit Chriſtianus ; & qui docuerit eſſe aliquem infimum gradum & ad illum digitum intendat , neget reliquos eſſe neceſſarios vel ineundos. Peto itaque ab ipſo te,quem infi-

mum

mum gradum existimes eorum qui in cælum per ignem admittendi sunt? Si nullum assignas, cur non permittis mihi æstimare aliquid Theologicè ex intrinsecis rationibus per quas utrique aditum ad vitam fieri assentimur? Utrique consentimus Charitatem esse per quam aperitur cælum, dissensio est quid tollat Charitatem; tu te sistis in *exterioribus* actibus, & ex iis æstimas an sit sublata Charitas: Ego *interiores* actus discutio, & in iis quid charitatem interimat, quæro. Tu appellas ad sententiam ipsius peccantis, ego illam turbidam & insufficientem queror, & ad perspicuitatem Divini scrutinii judicium refero.

15. Tandem clamas me necessitatem Bonorum operum tollere; Ego altè & clarè inficias eo, & provoco te ad hoc demonstrandum. Si Incontinentes examinas, vides per passionum tenebras & lucida intervalla distinctam illorum vitam; Si quos Schismaticos appellamus producis, longè majorem frequentiam vel potiùs assiduitatem in illis comperis; familiam Catholicè ali, Iejunia & festa observari, Sacerdotes teneriùs honorari & excipi quàm apud complures Catholicos; vicinos Catholicos tenuiores sub eorum tutelâ protegi, & plura alia ex spe vitæ æternæ continuè exerceri; & tamen evacuari bona

bona opera tanquam certum ſumis, quo alio argumento quàm quia ipſimet ſe putant eſſe in ſtatu peccati mortalis, vel alii Theologica non intimiùs luſtraverint,& propterea ex ſolis externis Iudicium ferant ; ex eo videlicet Ariſtotelis axiomate, quòd ***qui ad pauca reſpicit citò proferat Sententiam*** : Tuum eſt, docte Theologe,qui adeò accuratas formare oppoſitiones valuiſti,etiam ad reſponſa ſubtilem intellectum tuum intendere , & non obvia dumtaxat ſed etiam reconditiora ſpectare.

16. Quod ſequitur neſcio an Argumentum an potiùs concluſionem exiſtimem ; dum , conglobato argumento negativo ex eo quòd non legas hanc ſententiam poſitivè aſſertam , arguas reprobatam interioris (ut loqueris ſenſûs) oppoſitione. Quaſi hoc nos docere velis ***Calpen*** aliquam Theologicæ navigationi præfixam , ultra quam non liceat progredi. De Sanctis enim minor eſt labor, cum eorum non tantummodo Homiliæ ſed etiam Scripta plerumque popularia ſint ; unde reconditas in iis ſpeculationes expectare fruſtra fuerit, niſi rarò; rariſſimè autem in hac materiâ, quæ ipſa tota retruſa eſt.

17. Atat vereris ne acediam creet hæc mea ſententia fidelibus , dum facilem ſibi aditum

aditum ad vitam æternam patefactum videant. Sed peto, quibus fidelibus? hisne quos Schismaticos *appellari*, non *esse* diximus? vide eorum dispositionem magis ad desperationem quam ad præsumptionem proclivem. Christiana vita inter oppositas & quasi concurrentes Cycladas versatur; in utrumque extremum peccatur, ab utroque repellendi sunt fideles; tota opinionis & exempli machina ad desperationem hos miseros detrudit; alacriores ad bona opera exurgunt si spes illis affulgeat quòd nondum perierint, quòd adhuc bonis operibus merces sit, quod adhuc, (ut Apostolus tum ad *Hebræos*, tum ad *Galatas* in defectione tunc existentes, loquitur,) speremus de iis meliora, quòd Deus non sit injustus, ut obliviscatur & non remuneret benefacta. Crede mihi angusta nimis est Theologorum sententia, quæ definit uno Actu tolli charitatis Habitum: Nihil in natura ei vadimonium præstat; habitus plerumque minuuntur priusquam tollantur. Naturæ & experientiæ contradicunt qui hoc tuentur; & tamen quicquid opponis in hoc radicatur. Noli itaque nimis vehemens in censurâ esse, sed expecta quid pro se Albius respondere poterit.

18. Verùm, ecce meministi quod respon-

dere

dere pro se possit hanc litem nusquam præ-tactam reperiri, & objicis Scholarum ad innovandum solertiam; & deducis non po-tuisse quæstionem non fuisse agitatam nisi evidentissimè falsa fuisset; Immemor sci-licet quòd etiam utrùm sit Deus & quorum-cunque mysteriorum veritatis apud eos ex-tet inquisitiva discussio. Sed, quod facit cur hæc & similes quæstiones apud eos non re-periantur; est, quòd non in propagandâ Theologiâ laborant, sed hærent in iis quæ à D. Thoma & majoribus acceperunt demon-strata, vel enervandis vel certè ventilandis. De Sanctis patribus jam responsum est ad populum excolendum eorum labores esse di-rectos. Ascetarum verò ipsum nomen in-dicat ad *praxim* totos respexisse, non ad speculationes. Non itaque sola Fides eorum ingenia cohibuit, sed magis quòd opus ipsorum circa speculationes Metaphy-sicas in hujusmodi materiâ considebat.

19. Postremum vocas quod subjicis (etsi plura addas) Contritionis exercitio detrahi per hanc sententiam. Cur enim? quia sola-tur se pœnitens ex circumstantiarum vio-lentiâ. Numetiam hoc in viris spiritualia scribentibus & consolationem lapsorum non invenis? Egone hoc commentus sum, an perpetuum est spiritalium Magistrorum exer-

exercitium ? Cur itaque meæ ſententiæ objicitur quaſi labes ſpecialis? Dicent (pergis) apud me retinui Judicium quòd malè facerem. Sum ego qui hoc doceo ? nonne ipſa eorum conſcientia hoc illis teſtatur? Nonne ipſe hoc idem quaſi caput mali urges? Quid itaque hoc pecco commemorans quod & de ſe manifeſtum eſt & te teſte tenetur ? Sed ego dico in morte prævaliturum hoc Judicium. Quidni, poſtquam nunc prævalet ad condemnationem facti dum contremiſcit à tentatione cui ceſſit Anima, dubitare poſſum quin, deciſis iis accidentibus quæ nunc Animæ ſunt moleſta, multò magis ſit prævaliturum ſi permaneat, quod noſtræ conditiones pro certo ſubſternunt. Illic eſt difficultas, quòd hujuſmodi tentationes, dum frequentius iis ceditur, emolliunt animum, diminuunt Charitatem (quicquid Theologi refragentur) &, ſi ingraveſcunt ultrà medii intervalli reparationem, tandem extinguunt illud Judicium quo fundabatnr Anima ; quod moderatores Animarum perpetuis experimentis compertum habent, quantum irrationalis illa ſpeculatio de infuſione indiviſibili & immediata Charitatis non offuſcat eorum intuitum. Hoc eſt quod inculcandum eſt tepidis & facile labentibus, ut cum timore & tremore certam

tam reddant vocationem ſuam, & terrendi ſunt exitio per tepiditatem ſuperveniente; non verò ingerendo nugas de interitu Charitatis per ſingulos actus, quarum contrarium ipſi in Animâ ſuâ vident, vel videre nati ſunt, & vidiſſe putant.

20. Adjicis mox & labem futuram in Sacramento Pœnitentiæ adminiſtrando: ſcilicet, conſcios hujus doctrinæ cum ſimulatione adituros eſſe Tribunalia Pœnitentiæ. Viſne huic malo remedium? Inſtruantur pœnitentes, quòd ut judicandi veniant, non ut Judices; ut audiant præfectos Conſcientiarum, non ut cum iis diſputent; non ut celent ſtatum animarum ſuarum, ſed ut eo aperto conſulant quid ſibi agendum ſit. Hæc ſunt quæ à Theologis moneri debent; cætera ipſis Confeſſariis relinquenda. At enim aliam pœnitentium portionem conſtituis qui infrequentiùs ſalutarem medicinam petituri ſunt. Neſcio quid velis; non dubito enim etiam exceſſum aliquem eſſe adeundi hæc tribunalia. Memini Prælatum gravem Hiſpanum, Reſidentem tum Belgicum Romæ cum hæc narraret, teſtatum mihi fuiſſe, in generali Congregatione celebris Regularis Familiæ, *Clementem* 8um graviter Patres congregatos monuiſſe, quod fœminæ cæteroqui piæ,

piæ, bis : vel ter, intra octiduum sedes confessionales peterent ; ibique horam integram vel paulò minus contererent. Unde scandala in populo nascebantur, suspicante Confessarios eos de omnibus quæ domi gerebantur interrogare, & per ipsarum simplicitatem œconomos sese totius familiæ reddere. Imô cum primò Romam adirem, calebat rumor de petitione ab eadem familiâ Summo Pontifici Gregorio 15° exhibitâ, quæ testaretur se vivâ voce à Paulo 5to impetravisse facultatem revelandi suo PatriGenerali quæ excepissent in confessione si necessaria judicarent, & peteret hujus privilegii confirmationem in scriptis; sed tantâ Curiæ indignatione hanc supplicationem acceptam, ut non ausi fuerint eam prosequi. Considera quoque quantum ante Scholam & Raymundum, primum Casuum Conscientiæ Compilatorem, usus Ecclesiæ à moderno distet, & nisi efficere possis meliorem esse populi ex eo tempore vitam quàm in prioribus sæculis, vereor ne hæc confessionum multitudo non tantæ utilitatis sit quanti reputatur. Sed viderint hæc quibus Deus commisit id curæ, mihi satis est ut non inde præjudicium adversus meam sententiam invehatur, quasi nulla moderatio in hoc exercitió tenenda sit.

Te

Te credo latere non posse, quantos clamores vel potiùs gemitus pii ediderint adversus eos qui ludicrè Sacramentum pœnitentiæ tractant ; qui hoc ipso inconveniente se tuentur , Ecclesias suas desertum iri , si remittant pœnitentes sine absolutione. Et fateor (ut hodie mores Ecclesiæ sunt) sæpius adiri à viris in neutram partem insignibus Subsellia Pœnitentium communionis secuturæ causâ , quàm ipsius pœnitentiæ amore. Neque tamen dubito quando ritè administrantur Sacramenta, multa & grandia & bona parturire , & mala evitare. Et fortassis hæc ipsa quam tu sequeris sententia occasio est ut minùs frequententur , & malè administrentur Sacramenta.

21. Addis novum argumentum ex verbis Christi Domini , quibus testatur viam salutis esse arctam & paucos ingredi per eam, & contendis voces ex Regulâ Augustini debere in propriâ significatione sumi, cùm nihil absurdi contineant. Et ego assentior ; sed meminisse te volo cum Christus hæc loqueretur adhuc clausam fuisse Gentibus portam salutis. *Non sum missus* , ait Christus , *nisi ad oves quæ perierunt ex Israel*; &, ad Apo-

 stolos,

ſtolos, *in viam Gentium ne intraveritis*. Palam quoque eſt ex ipſo Iſraele paucos ſecutos eſſe Chriſtum. Sed quòd porta per vocationem Gentium non fuerit facta ſpatioſior, quòd tot exempla Sanctorum tantaque morum mutatio non reddiderit faciliorem vitæ æternæ aditum, (cùm experientia ubique clamet hoc placere pleriſque quod ab aliis viris æſtimatis fieri conſpicantur) ego non intelligo, neque ſcio cur dubitare debeam indies dilatatum iri, ſi mores Eccleſiæ per recta diſciplinæ principia & Prælatorum vigilantiam corrigantur.

22. Tandem urges facilia negligi, circa difficilia majori conatu & ſollicitudine arrigi animos; quare vereris ne intepeſcant animi ex facilitate nimiâ cælum adeundi. Quid non audet Dialectica? cùm è contrà caput hortandi ſit oſtendere non eſſe difficile quod aggrediendum proponis, & uſus eſt ipſe Chriſtus Dominus cum docuit *Iugum ſuum ſuave eſſe & onus leve*, cum vocavit laborantes in mundo, ut in ſuo cultu reficerentur. Et ſic Theologicas rationes diſſolutas habes. Unum te deprecor ſi replicare tibi viſum fuerit, ut, quoniam

Amore

Amore veritatis ſcribere videris, caveas imponere mihi dicta tanquam mea quæ in meis ſcriptis non invenis. Si enim putas conſequi ex dictis meis, infer illa & conſequentiam demonſtra, ſed ne perſuadeto Lectoribus quòd in meis libris reperiantur.

DEFENSIO QUINTA.

Refellens

Objectam in evulgandâ hâc doctrinâ Imprudentiam.

1. NOvo nunc me artificio impetis. Ais enim, etſi vera eſſet hæc doctrina non eſſe prudentis viri eam publicare. Prædica quæſo in *Sorbonâ* vel *Lovanii* hanc tuam aſſertionem; Dic Academiis Chriſtiani Orbis eſſe in Theologia veritates, & quidem à Theologis perceptibiles, quas oporteat ab ipſis celari; & cogita quo Sarcaſmo, quâ indignatione talis compellatio excipere-tur. Præterea; num vis Deo conſilium dare qui *propoſuit Mundum diſputationi*

hominum , & tu docebis quæ ipſe fecit non eſſe docenda ? Sed arguis nullam eſſe neceſſitatem hujus doctrinæ , quia Chriſtus & Apoſtoli non publicaverunt illam. Numquid Summam Theologicam S. Thomæ prælegerunt mundo ? aut nihil in illâ debuit publicari quod id ipſum in Evangelio non fuiſſet explicatum ? Quorſum Doctores poſuit in Eccleſiâ niſi ut Doctrinam ſupernaturalem augerent, & conſequentia docendo tum defenderent tum illuſtrarent ? Præterea, unde nôſti non illic reperiri ? Credo, ſi opportunum foret, me poſſe Sacræ paginæ non pauca teſtimonia congerere. Accipe ſpecimen ; quando Chriſtus monet Chriſtianos *ne prægraventur eorum corda crapulâ & ebrietate & ſollicitudinibus ſæculi* ; cum exemplo ſuo monet ut *linum fumigans non extinguamus* , neque *arundinem conquaſſatam confringamus* : Quid enim ſignificant hæc , niſi totum non periiſſe ſi quis infirmus ſit , niſi ſuffocatum ſit in iis Semen vitæ & igniculus Charitatis , & robur mentis penitùs diſſolutum. Sed urges, magnam Animorum conſternationem efficere , ex eo quòd ſit oppoſitum priori opinioni quâ obſeſſa fuerunt corda. Et non vides,

ſup-

ſuppoſitâ veritate dicti, hoc arguere maximam publicationis neceſſitatem. Error enim quò in graviori materiâ, & quanto univerſalior eſt, tanto magis nocivus eſt, & eò major eſt neceſſitas eundem corrigendi. Sed ais nullum inconveniens ex contrariâ doctrinâ perceptum eſſe. Hoc non eſt aliud, quam quòd ii qui oppoſitam ſententiam credebant eſſe veram, non crediderint inconvenientis quicquam ex illâ ſequi; quod omnibus ſententiis commune eſt.

2. Pergis ad confutanda emolumenta quæ ex meâ ſententia deduxi; in quo miror te tantum operæ poſuiſſe, cùm non poſſis ignorare hunc locum Dialecticum eſſe, & ultro citroque ſine fine & voluminosè jactari poſſe argumenta. Nonne hoc etiam vides Chriſtianam Doctrinam mediam eſſe inter oppoſitos errores, & Sententiam communem videri in unam partem declinare, meam in alteram? unde facile eſt inconvenientia Errorum oppoſitorum, ſic enumerare ut commoda ſint veritatis mediæ illa fugiſſe, & hoc ex utrâque parte modò conſtet in quo ſita ſit ipſa veritas. Si itaque Sententia mea ſit vera, eo ipſo calumniæ ſunt quæ congeruntur adverſus

Illam, & firma emolumenta quæ ex ipso deduco. Unde & clarum est te, qui adversus Sententiam quam supponis esse veram congeris incommoda, non meminisse quid tibi sit agendum, neque me prudentem fore si laborem ea solvere quæ ex ipsa tuâ suppositione quod sententia sit vera de se concidunt. Unum tamen non possum omittere quod extra suum locum quasi fœtus subventaneus in ipsam conclusionem incidit; & est, quòd velis Lectoribus persuadere, desperantem amare. Quod ut non nego in Amore qui est Passio posse intervenire, sic in Rationali clarè est impossibile. Homini enim ratione sese gubernanti, quod impossibile est nihil est; si desperet itaque & amet, amabit quod sibi nihil esse apparet. Pejus autem adversus me infertur, qui in ipsâ Definitione Charitatis pono quod sit Iudicium practicum & conans ad finem, etsi tu perpetuò in argumentis oppositam mihi imponas adversus tuam ipsius explicationem in statu quæstionis.

DE-

DEFENSIO ULTIMA.

Refellens

Censuram contra hanc doctrinam latam.

1. TAndem ad Conclusionem & Censuram devenis, eamque vehementem. Sed impingis censuram tuam universaliter, ut in quam partem doctrinæ meæ cadat, non satis diluceat. Diduco proinde ipsam. Effectus quidem hic est: Incontinentes & specialiter pusillanimes esse salvandos. Hanccinè immediate feris, an propter fundamenta? Non crediderim te adeò immemorem nostræ fragilitatis & ignorantiæ esse, ut authoritativè velis dicere Deo. *sic te oportet judicare.* Fundamenta itaque inspiciamus.

2. Primum est, unum actum oppositum charitati non tollere ipsius Habitum. Hanccine propositionem condemnas? sed neque commemoravisti in toto discursu tuo. Sed fortassis objicies Concilium Tridentinum ubi invenis non per solam infidelitatem

sed

ſed per quodcumque aliud peccatum mortale perdi charitatem. Attamen ſi acriùs intuearis videbis de *ſpecie* peccati non de *numero* eſſe Sermonem; hoc eſt, ſalvâ fide, per multiplicationem cujuſvis alterius peccati mortalis auferri Charitatem. Unde, an per unicum actum peccati mortalis auferatur, nihil illic habes.

3. Aliud fundamentum eſt illud peccatum ſolum eſſe Mortale quod tollit vitam ſeu habitum Charitatis. Hanccine propoſitionem cenſurâ dignam putas? Fortaſſis, neque enim ſatis particularem judicas, ſed definiendum quoque eſſe peccatum Mortale, Actum deliberatum contra præceptum Dei. Sed cave quid agas, hæ enim duæ Definitiones eódem recidunt. Conſule Stum Thomam, & plerosque Theologos, dicent tibi *contra Præceptum*, ſignificare *contra Charitatem*; ſecundum illud Paulinum, *qui diligit proximum implevit legem*, & *Ioannis* apud *Hieronymum*, *ſi ſolum fiat ſufficit.* Cave itaque ne cenſuram merearis, dum intentas.

4. Aliud fundamentum eſt, Hos miſeros dum peccant retinere Spem. Caditne in hoc fulmen tuum? Nequaquam, eſt enim expreſſis verbis Concilii Tridentini aſſertio. Cupiebas tamen, cùm dicas eos ſpem non habere,

habere. Sed vel infers hoc, & cadis in offensam Concilii; vel supponis quasi dictum nostrum, & malè nos intelligis, cum contrarium aperte declaremus.

5. Aliud fundamentum est non standum esse sententiæ horum miserorum de semetipsis. Hæc vel maximè tibi displicet. Vide quo jure. Putasne illorum esse qualitatem suæ Animæ pernovisse? Si hoc quorumlibet est, quorsum ad Sacerdotes qui supponantur peritiores remittuntur? Nimis imperitè cogitatur eos intelligere statum interiorem & divisiones Spiritûs & Animæ. Noverunt in instructionibus dictum sibi, talem externum actum esse peccatum mortale, & fideliter credunt quod edocti sunt, & non sunt idonei ut dilutiùs quicquam internoscant. Tuum est, cùm sis Theologus speculativus, inquirere de penitioribus consiliis quæ in Animo versantur; intelligere motus voluntatis, & discernere an hoc quod ex suo genere, ex vi actionis externæ & objecto, est peccatum mortale, ita afficiat Animam ut prorsus vel quadantenus tantùm eam coinquinet. Mihi faciliùs oculos erueris quàm persuaseris eum qui hodie ***valedicit Mundo*** (ut loquuntur) cras Capucinum aut Discalceatum Carmelitam, aut Carthusiæ incolam induturus, non habere Amorem vitæ æternæ.


næ. Consule confessarios horum excipientes crimina. Num aliam pœnam imposituri sint quam ut opere perficiant quod etiam tum cum luxuriarentur propositum habebant ? Unde videas à praxi proborum non dissentire quæ loquor.

6. Aliud fundamentum est quòd voluntas horum peccantium sit implexa, quâ idem & velint & nolint ; unde quid in iis prævaleat Deus solus perfectè novit ; Sed, si liceat ex effectis æstimare, potiora sunt ex eâ parte ut judicetur eos Deum pro bono æterno præeligere. Hanccine propositionem condemnas ? Nimium pro utraque sui parte evidens est, & præterea de illâ nihil meministi. Et hæc quidem mihi in fundamentis collocata sunt. Tu cætera ex tuo addidisti; ut, quòd desperent de salute, quòd bonis operibus non studeant, quòd locus meriti in futurâ vitâ collocetur, quòd via ad Salutem non ultra sit per pugnam adversus concupiscentias & passiones, quòd Contritioni derogetur, quòd Confessionis Sacramentum infrequens sit redditurum, & similia ; quæ neque à nobis dicta sunt neque cum ullâ verisimilitudine ex dictis nostris inferuntur. Vis ne propter hæc ut non prædicetur *misericordia Dei esse super cætera ipsius opera?* nequaquam dicis ; idcirco, nempe, quia

quia & verum est, & ad alias partes Christianæ vitæ necessarium. Sic de hoc Theoremate; si verum est, persuasum esse oportet, & non temerè in Censuras prorumpere in rebus adeò obscuris & à principiis remotis pendentibus.

F I N I S.


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 29;ZEN Leibn. Marg. 29, [81] - 75
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 29;ZEN Leibn. Marg. 29, [82] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 29;ZEN Leibn. Marg. 29, [83] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 29;ZEN Leibn. Marg. 29, [84] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 29;ZEN Leibn. Marg. 29, [85] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 29;ZEN Leibn. Marg. 29, [86] - -

PUBLIC DOMAIN


GWLB Hannover 35
036 854 379

aufgest. 8° TV, 2.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 29;ZEN Leibn. Marg. 29, [87] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 29;ZEN Leibn. Marg. 29, [88] - -

PUBLIC DOMAIN



Signatur: Leibn. Marg. 29;ZEN Leibn. Marg. 29, [89] - -
PUBLIC DOMAIN